



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. XXX. Exaltabo te Domine, &c. Carm. gen. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](#)

Dei fatentur cuncta potentiam.

A uoce uindex Pontus inhorruit,

Vndisq; montes obruit, arbiter

Aeternæ rerum, quum libuit tibi

Delere gentes fluctibus impias.

Te dante uires, non opibus feros

Horremus hostes, non numero graues

Te dante pacem, progeniem Isaci

Cornu beabit diuite copia.

PSAL. XXX. Exaltabo te Domine, &c.

Carm. gen. 6.

T E nostra semper carmina, te lyra

Sonabit, orbis arbiter optime:

De fauibus lethi imminentis

Incolmis tibi uota reddam.

Per te superbus nec lacrymis meis

Insultat hostis, nec fruitur malis:

Terebus, incertus salutis,

Auxilium in dubijs poposci.

Per te receptis uiribus haurio

Vitalis auræ lumen amabile:

Nec inferum sub nocte longa

Et tenebris iaceo sepulchri.

O turba puris dedita ritibus

Sacrisq; castis, tollite laudibus

Placabilem uotis parentem,

Et memori celebrate plectro.

Vanescit iræ uindicis impetus

Bullæ fugacis more: Dei fauor

Bonis manu uitam benigna

Tristitiae uacuam rependit.  
Si forte sero uespere fletibus  
Vultus rigamur, mox redit aurea  
Cum luce risusq; & iacentes  
Exhilarans animos uoluptas.  
Pacis beatæ quin in fruerer bonis,  
Mecum loquebar, De stabili gradu  
Felicitatis nulla sortis  
Me dubiæ quatiet procella.  
Te dante uires, diuitias, decus,  
Te montis instar mœnibus æneis  
Firmante regnum, uanum alebat  
Credulitas mihi blanda fastum:  
Tu me relicto stultiæ meæ,  
Dextram retraxti: retro abiit, domum  
Repentè turbatam relinquens,  
Sors leuibus malefida pennis.  
O præses orbis, pectore supplice  
Mox te uocaui, te lacrymis madens  
Opem poposci. Quid profusus  
Profuerit tibi sanguis? inquam.  
Quis mortis usus nostræ erit? an tuas  
Laudes sonabunt, factaq; posteris  
Miranda muti prædicabunt  
Sub gelido cineres sepulchro?  
Placatus aurem da facilem meis  
Votis, seueros neu querimonij;  
Auerte uultus: pelle membris  
Pestiferi mala dura morbi:  
Tu supplicantiprotinus admoues  
Aurem benignus: pro lacrymis mihi

D ij

Risum reducis, pro dolore  
Lætitiamq; alacremq; plausum.  
Te semper ergo carinina, te lyræ  
Nostræ sonabunt: uox tibi seruiet  
Dicata, præbebitq; nostris  
Materiem tua laus Camœnis.

PSAL. XXXI. In tē Domine sperauit,  
non confundar in æternum, &c.

Carm. gen. 10.

**I**N te locauit spem meam  
Rerum creator optime:  
At tu benignus prospice  
Ne spei pudescat irritæ.  
O iuste uindex fraudibus  
Ab hostium me uindica:  
Audi benignus supplicem:  
Da promptus abiecto manum.  
Me rupe serua ut inuia  
Clausum, uel arce ahenea:  
Tu rupis es mihi inuiæ  
Munimen, arx ahenea:  
Ergo ut timori mentibus  
Nomen tuum sit impijs,  
Præ uiam mihi, abditis  
Me libera de casibus.  
Tu robur es meum: tuæ  
Commendo uitam dexteræ:  
Melibera paeti Deus  
Tenax, memorq; fœderum.  
Qui uana stulti somnia

Sectan-